

## Serie Generale 333a

(ST) Anno Domini millesimo C<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LXXXVIII, indicione secunda, in finibus Bruxatarum prope Toretam, die iovis XVI in iunio. Testes dominus Bertolotus Provana miles, dominus Petrus Zambertus castellanus Ripolarum, dominus Nicholinus Ducus, Manoellus de Cabureto, Guillelmus Galletus de Cargnano, Garoninus de Romano et plures alii ad hoc vocati et rogati. Presentibus testibus suprascriptis et in presencia nobilium virorum domini Iacobi de Quarto generallis vicari Pedemontis nec non domini Villelmi di Rupecola baylici vallis Secuxie et plurium aliorum nobilium qui cum eis erant, Petrus Cayirayra, Turinus Banducus, Willelmus Capellus, Gandonus Tortellus et Odonus Romagnanus omnes de Monte Calerio ab una parte, pro comuni Montis Calerii, nec non Maynfredus de Marcheto, Iohanius Salvagnus, Matheus Tecia, Peracius Proteneris, Rogerius de Ymonda omnes de Cargnano, pro comuni Cargnani, electi ad declarandum et designandum predictis communibus fines Bruxatarum et in quantum se stendunt et ad inquirendum si aliquis de Monte Calerio vel de Cargnano cepit de dictis Bruxatis vel aroncavit (sic) ab VIII annis proxime preteritis citra prestito ab eis iuramento, quod hoc facerent bona fide pro utraque comuni concorditer, dixerunt, declaraverunt et protestati sunt coram ipsis vicario et baylico et testibus suprascriptis quod fines Bruxatarum vadunt et sunt ut infra: videlicet incipiendo a Toretam Gurre eundo per vietam secus canpum filiorum Bertini Provane usque ad pratum Sancti Martini eundo directe secus prata sortarum usque ad pizium nemoris Cellarum tornando secus nemus Cellarum usque ad Rianam que est de versus Guriam tornando per ipsam Rianam usque ad dictam Torretam; et ita ut superius declaratum est dixerunt esse fines Bruxatarum. Super facto vero illorum qui debuerunt eripere de pascuis dictarum Bruxatarum, predicti de Monte Calerio et Cargnano, electi ad hoc, dixerunt et cognoverunt quod infrascripti tam de Monte Calerio quam de Cargnano ceperunt de pascuis dictarum Bruxatarum: primo filii Bertini Provane quondam iusta Toreta pecia una prati cui coheret Fraschetum et terra que fuit Bonazoti, eo salvo quod factum fuit pratum bene sunt XII anni elapsi et plus. Item dixerunt Henricum filium condam domini Uberti de Montefalcone aroncasse et cepisse de pascuis dictarum Bruxatarum et ibi fecisse circa iornatas II prati a tribus annis proxime preteritis circa qui coherent Fraschetum et Maynfredum de Marcheto. Item Picotus de Montecalerio ibidem de iornatas II prati; item filii condam Petri Merllonis similiter peciam I prati ibidem cui coheret domina Galiana de Montefalcone et pratum Picoti; quod pratum nunc tenet, ut asserebat, Facinus de Montefalcone. Item Ardicionius Provana fecit illud idem de pecia una prati, cui coherent Melanus, Cornetus, Salvagus, Maynfredus de Marcheto et nemus Cellarum a dictis VIII annis circa. Item dixerit Iacobum de Romeo a dictis IX annis circa aroncasse (sic) de dictis Bruxatis et fecisse illud idem quod tenet ibidem circa iornatas X et plus, cui coherent Maynfredus de Marcheto, terra quam vendidit Picotus Ardicionio et pratum quod fecit idem Ardicionius ibidem et Salvagus. Et sic predictis omnibus lectis et declaratis coram dicto vicario et dicto baylico et testibus suprascriptis de predictis omnibus suprascriptis Iacobus de Rocolis sindicus communis Montis Calerii ut asserebat predicto comuni Montis Calerii et dominus Ubertus Provana sindicus communis Cargnani ut similiter dicebat, pro predicto comuni Cargnani preceperunt mihi notario infrascripto plura unius tenoris facere instrumenta. Et ego Thomayus Longus plublicus<sup>1[1]</sup> notarius hanc cartam breveatam per patrem meum Willelmum Longum, qui eam adimplere non potuit propter egritudinem suam et tremitum manuum suarum, auctoritate mihi concessa a domino Dorato Tenchapassa iudice Montis Calerii et a credencia dicti loci, eam sic tradidi et complevi.

---

<sup>1[1]</sup> Così nel testo per publicus e così per gli altri casi.

## Serie Generale 333b

(ST) Anno Domini millesimo CCLXXXVIII, indicione secunda, in finibus Bruxatarum prope Toretam, die iovis XVI in iunio. Testes dominus Bertolotus Provana miles, dominus Petrus Zambertus castellanus Ripolarum, dominus Nicholinus Ducus, Manoellus de Cabureto, Willelmus Galletus, Garoninus de Romano et plures alii ad hoc vocati et rogati. Presentibus testibus suprascriptis dominus Iacobus de Quarto vicarius generalis Pedemontis et dominus Willelmus de Rupecula baylitus vallis Secuxie arbiter et arbitratores et amicabiles compositores electi a Iacobo de Rocolis, sindico communis Montis Calerii nomine dicti communis, et a domino Petro Provana, sindico communis Cargnani, nomine dicti communis super questionibus et rancuris vertentibus et qui verti sperabantur inter dicta comunia, occasione finium Bruxatarum et Sabloni, tam occasione dictorum communium quam personarum specialium, dixerunt et arbitrati sunt ac eciam pronunciaverunt et preceperunt observari, sub pena X librarum viannensium pro qualibet persona qui contra veniret vel faceret infrascripta, attendi et observari per comunia supradicta et per speciales personas predictorum locorum. Primo quod illi qui dicuntur cepisse de Bruxatis seu de pascuiis dictorum locorum in dictis Bruxatis, secundum quod dictum est et declaratum per illos V homines Montis Calerii et alias V Cargnani super hoc electos, ut continet instrumentum factum per me notarium infrascriptum hoc eodem anno et indicione et die, debeant ostendere et possint coram castellano Montis Calerii et Cargnani vel locum eorum tenenti in predictis ius quod habent in possessionibus de quibus scripti sunt cepisse de dictis Bruxatis si quid voluerint dicere se habere usque ad XV dies proximos perhentorie quod si non ostenderint infra dictum tempus ius se habere sufficienter in possessionibus eis apaschatis quod ab inde inantea dicatur pascuum et pro pascuo habeantur. Item quod illi quibus apascatum cum est in dictis Bruxatis nichil novi faciant laborando vel secundo infra dictum tempus quo ostendere debent ius suum sub pena predicta pro qualibet et qualibet vicem qua contrafacerent. Et predicta pronunciaverunt dicti dominus vicarius et baylitus, presentibus Iacobo de Rocolis sindico communis Montis Calerii et domino Uberto Provana qui se communis Cargnani sindicu asserebant, precipientes prenominati vicarius et baylitus de suprascriptis mihi Willelmo notario infrascripto unum vel plura unius tenoris fieri instrumenta. Et ego Thomayus Longus plublicus notarius hanc cartam breveatam per patrem meum Willelmum Longum, qui eam adimplere non potuit propter egritudinem suam et tremitum manuum suarum, auctoritate mihi concessa a domino Dorato Tenchapassa iudice Montis Calerii et a credencia dicti loci, eam sic tradidi et complevi.